

www.e-rara.ch

Novum florilegium poeticum, ordine alphabetico digestum

Lagnier, Pierre

Tiguri, 1664

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-13810>

D.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [\[Link\]](#)

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [\[Link\]](#)

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [\[Link\]](#)

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [\[Link\]](#)

Credulitas.

Q^Ui cuius quidvis credit, malè creditur illi:
Quò credis mihi plus, hoc tibi credo minùs. *Ovven.*

F^Ide, cui fidas cautus tamen antè videto:
Multa, repentinum credere, damna creat. *Anon.*

Q^Ui citò crediderit, falletur sæpe, levisque
Est cordis: rarò fallitur ipse senex. *Verinus*

Cura.

C^Ura tuis nunquam si desit rebus agendis,
Tandem digna tuo lucra labore feres. *Anon.*

X O curas hominum, ò quantum est in rebus inane? *Persf.*

C^Ura quoque interdum nulla medicabilis arte:
Aut si sit, longâ est attenuanda morâ. *Ovid.*

X A^Ttenuant vigiles corpus miserabile curæ. *Idem.*

C^Ura viris levibus rerum solet esse novarum:
Cura viris gravibus rerum solet esse suarum. *Mant.*

D.

Deus.

X U^Nica spes tibi sit Deus, & solamen in artibus
Rebus, in hunc oculis intueare tuis. *Anon.*

X Q^Uò metus est major, quò sunt graviora pericla,
Hoc propior nobis affolet esse Deus. *Anon.*

X U^Nus qui Deus est, hunc unum credimus esse:
Quo sine, quæ fiunt, sunt ea facta nihil. *Borbon.*

X N^Ostra Deus subitis non damnat crimina pœnis;
Compensat longas sed gravitate moras. *Anon.*

X A^Spiciunt oculis superi mortalia iustis. *Ovid.*

X O^Mnia cùm videat, nulli Deus ipse videtur:
Solus ubique patet, solus ubique latet. *Ovvenus.*

Siquid fortè mali aut facias, aut mente volutes,
Ut lateas homines, certè Deus omnia cernit. *Muretus.*

Immensus Deus est, qui scilicet omnia mensus;
Innumerabilis est, unus enim Deus est. *Ovvenus.*

Non Deus est autor culpæ, sed criminis ultor:
Pro meritis justis præmia justa dabit. *Idem.*

Nil ita sublime est supràque pericula tendit,
Non sit ut inferius, suppositumque Deo. *Ovid.*

Lurconi venter Deus est, ac nummus avaro.
Et cui sunt Veneris gaudia prima, Venus.
Huic honor & vero Deus est pro numine Fama,
Quem famæ extimulat non satianda fames.
Cui nimio Christus studij vilescit amore,
Annon is studium numinis instar habet?
Denique quo Christo quisquam plus quærit, amâque,
Nonne sibi summum numen id esse putat? *Bill.*

Diabolus.

Sævitiem horrendam Satanæ cui nosse libebit,
Quoque suos tractet perfidus ille modo:
Is sibi proponat dira feritate tyrannum,
Atque hominis præter qui nihil ora gerat.
Namq; cadaveribus velut hic, quos Marte subegit,
Alligat, ut miseris sit mora longa necis:
Sic atri quoque rex Erebi, quos arripit, ad res
Fluxas, & fragili forte, ligare solet. *Billius.*
Magnus te spoliat Satanæ per parva, lutumque
Porrigit, ut gemmas detrahat ipsè tibi. *Idem.*

Discere. Discipulus.

Quisquis es artis inops studium differre caveto,
Ut citò reddaris nomine, reque sophæ. *Anon.*

Discere ne pigeat, studio sapientia crescit.
Discenti sophiæ janua sponte patet. *Anon.*

Qui rogat, & retinet, reperitque, docetque sodales,
In studiis laudem præripit ille suis. *Anon.* Disce

Disce libens. Quid dulcius est, quàm discere multa?
Discentem comitantur opes, comitantur honores. *Mur.*

Disce libens, tetrici nec Præceptoris habenas
Detestere nepos: nunquam horrida forma magistri.
Ille licèt tristis senio, nec voce serenus
Aspera contractæ minitetur jurgia frontis;
Nunquam immanis erit, placita assuetudine vultus
Qui semel imbuerit, nugas nutricis amabit. *Anson.*

Discordia.

SI * duo de nostris tollas pronomina rebus,
Prælia cessarent, pax sine lite foret. *Neubus.*
*Hoc est, Meum, tuum: quæ *Chrysof.* *ἑμῶν* vocat *ῥήματα.*

Sensus quemquæ suus, Ratio sua quemque gubernat;
Velle suum cuique est, & sua cuique Fides.
Velle suum cuique est, fratrum hinc discordia, ut inter
Fratres conveniat, nil nisi velle deest. *Ouvendus,*

Tu potes unanimes armare in prælia fratres,
Atq; odiis versare domos; tu verbera testis,
Funereasque inferre faces: tibi nomina mille,
Mille nocendi artes. ——— *Virgil.*

Dives. Divitiæ.

Non domus, & fundus, non æris acervus & aurî
Ægroto domino deduxit corpore febres.
Non animo curas. Valeat possessor oportet,
Si comportatis rebus bene cogitet uti. *Horat.*

Non est, crede mihi, multos qui possidet agros,
Dives, sed dives, cui satis unus ager. *Ouvendus,*

Vis fieri dives, Christi mandata sequaris,
Diminuâsque animi gaudia nota tui. *Idem.*

Deterior fio, fieri dum ditior opto:
Major me fieri molior, haud melior. *Idem.*

Quid tibi, si gemmas omnes cumulâris, & aurum,
Si tua tartareis mens cruciatur aquis? *Idem.*

Divitiæ

Divitiæ non sunt argenti pondus, & aurum:
Virtutes veras accipite divitias. *Idem.*

Condat avarus opes, & iniquo scœnore crescat:
Unica cura bonis, nomen habere bonum. *Anon.*

Divitiis utare tuis tanquam moriturus.
Tanquam victurus parcito divitiis,
Ille sapit, qui perpensis his ritè duobus,
Parcus erit certo, munificusque modo. *Anon.*

Doctrina. Docere.

* **N**avita de ventis, de tauris narrat arator.
Enumerat miles vulnera, pastor oves. *Propert.*

Aurum alius condat: frumenti condat acervos:
Cura mihi Clariis tingere pectus aquis.
Far minuit tempus: gemmæ perduntur, & aurum:
Quam docta ars tribuet, fama perennis erit. *Anon.*

Antè tibi studeas, ut sit pro conjuge virtus:
Ex uxore tibi fiat ut illa soror.

Uxor erit virtus: lætis amplexibus illam
Si tanquam thalamo junxeris ipse tibi.

Cùm tibi cuncta diu fuerit, pulchrâque beârît
Te sobole, uxoris definit esse loco.

Facta forôrque aliis jam se dabit ipsa fruendam,
Non conclusa sinu jam, velut antè, tuo. *Billius.*

Dolor.

ET lacrymæ deerant oculis, & verba palato:
Adstrictum gelido frigore pectus erat.

Postquam se dolor imminuit, mea pectora planxi,
Nec puduit ruptis exululare comis,

Non aliter, quàm si nati pia mater adempti

Portat ad exstructos corpus inane rogos. *Ovid.*

Strangulat inclusus dolor, atque cor æstuat intus:
Cogitur & vires multiplicare suas. *Idem.*

Ebrie-